

sententes litteras, ad singula queque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, et pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die 20 maii MDLXXV, Pontificatus nostri anno tertio. »

84. *Item per Bullam specialem Clementis VIII.* — Item ex Bulla Clementis VIII, supra per extensum allegata, quae etiam habetur in Bullario loco ibidem citato: siquidem in praefata Bulla Papa expresse « ex certa scientia confirmat omnia et singula privilegia nostra sive directe, sive indirecte per communicationem, vel alia ratione nobis concessa, aut obtenta, in omnibus, in quibus decretis concilii Tridentini non adversantur; » ut videre est in citata nobis summe favorabili, lectuque digna Bulla Clementis VIII, § 3, quae clausula ex certa scientia etiam habetur in Bulla Gregorii X, uti legenti patet.

85. *Item per Bullam specialem Pauli V.* — Item ex Bulla Pauli V, *In juncti nobis, etc.*, 1607, 19. juli edita, cuius copia pariter plene authentica in praefato nostro archivio Frisingensi habetur sequentis tenoris.

Paulus papa V, ad perpetuam rei memoriam.

« In juncti nobis Apostolici munera ratio postulat, ut sacrarum religionum in militante Ecclesia suaves in Domino fructus assidue prestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias, et indulta illis a Romanis Pontificibus nostris, et Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, Apostolice confirmationis robore libenter communicemus. Volentes igitur universum ordinem fratrum Minorum sancti Francisci de observantia, ex quo uberrimi in eadem Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotens Dei laudem, et Christianae reipublicae spirituale commodum, et utilitatem ab ipsis ordinis initio semper prodierunt, et in dies prodeunt, ac ipsius ordinis ministrum generalem, superiores, et fra-

tres specialibus favoribus, et gratis prsequi, ac eorum universos ac singula quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliquae ecclesias cis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latitis, si quibus quomodolibet innovati existunt, ad effectum praesentum duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus pro parte dilecti filii Archangeli de Messana totius ordinis hujusmodi ministris generalis Nobis humiliter porrectis inclinatis, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptions, libertates, prerogativas, favores, conservatorias, declaraciones, facultates, dispensationes, concessiones, gratias, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se et cum aliis ordinibus mendicantibus, et non mendicantibus eidem ordini Minorum sancti Francisci de observantia, ejusque ministro generali, superioribus, ac fratribus, et sororibus, aliquae religiosis utriusque sexus, eorumque domibus, monasteriis, ecclesiis, et locis regularibus quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices predecessores nostros, ac Nos, et Apostolicam Sedem sub quacumque verborum forma et expressione, in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, et innovata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, et declarationibus, ac singulas litteras tam sub plumbo, quam in forma Brevis, aut alias desuper confectas, quarum tenores presentibus pro expressis haberit volumus, quatenus sint in usu, et non sint revocatae seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, et sacris canonibus et concilii Tridentini decretis et constitutionibus Apostolicis, et ecclesiasticæ libertati in aliquo non adversantur, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, ac illis perpetuae, ac inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eisdem Intervenerint, supplemus. Quocirca venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, aliquae locorum ordinariis quibuscumque, nec non dilecto filio causarum Curiae Cameræ Apostolicae generali Auditori per presentes commitimus, et mandamus, quatenus qui-

§ IV. DE INNOVATIONE, CONFIRMATIONE, ET USU PRIVILEGIORUM. 511

libet eorum per se, vel alium, vel alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte ministri generalis, superiorum et fratrum praedictorum pro tempore existentium, aut alicujus eorum fuerit requisitus, praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque solemniter publicans, eisque et eorum cuiilibet, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, et quemlibet illorum praemissorum omnium, et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittat eos, et eorum quemlibet desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitate molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quocumque, eis auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinis privilegiis quoque indulxit, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constituta munitis eadem prorsus fides adhibetur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, Die XIX, Julii M. D. C. VII, pontificatus nostri anno tertio. »

86. *Quæ sicut et aliae confirmatoriae Bullæ, una cum privilegiis nostris novissime iterum confirmatae fuere ab Innocentio XI.* — Similis confirmatio etiam habetur ab Urbano VIII. In plenitudinem, quæ et aliae confirmatoriae Bullæ privilegiorum nostrorum de novo confirmatae fuere ab Innocentio XI, in Bulla *Exponi nobis*, etc., edita 5 septembris 1686, ejus quoque authenticam copiam Roma

communicatam habemus: ubi praemissis solitis praemittendis ad propositum ita loquitur Pontifex: « De venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium, praepositorum consilio, et attenta relatione, quam venerabilis etiam frater nos Alteranus episcopus Portuensis ejusdem S. Romanae Ecclesiæ Cardinalis Cibo nuncupatus dicti ordinis apud Nos, et Sedem Apostolicam protector eisdem cardinalibus super praemissis fecit praedictas Clementis VIII, quæ incipiunt, Ratio Pastoralis, ac Pauli V, quarum initium, In juncti nobis, Urbani VIII, Praedecessorum, quæ incipiunt, In plenitudinem, etc., aliorumque Romanorum Pontificum successorum litteras, super praemissis privilegiis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocatae, aut sub aliqua revocatione comprehensæ, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, et posterioribus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, regularibusque ordinis prædicti institutis non adversentur auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, etc. »

87. *Colligitur, privilegia nostra etiamnum plene valere, quibusdam exceptis.* — Ex quibus colliguntur, privilegia nostra cuncta etiam per communicationem cum aliis tam mendicantibus, quam non mendicantibus, vel alia ratione nobis competentia omnino adhuc valere, et firma subsistere, solis exceptis illis, quæ a constitutionibus Apostolicis post allegatas Bullas emanatis expresse revocatae, et quæ sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, aut regularibus ordinis nostri institutis adversantur. Sed occasione hujus:

88. *Quomodo sint intelligenda clausula confirmationi apponi solitæ: quatenus sunt in usu, quæ non sunt revocatae: item quæ sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non adversantur? Remissive.* — Quaritur V. Quomodo intelligendæ sint primum allegatae praefatis constitutionibus insertæ, et reliquis Bullis confirmatoris hoc tempore inseri solitæ clausulae, videlicet. Quatenus, vel dummodo sint in usu, nec sint revocatae, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, etc., non adversentur? Resp. Ad hoc quæsumus patere ex dicendis, § seq., n. 108, et seqq.

89. *Dum privilegia saepius confirmantur, et in una Bulla confirmatoria quedam omittuntur, que in alia ponuntur, non censemur esse revocata, que fuere omissa.* — Interea circa confirmationes privilegiorum notandum, quod, si in una confirmatoria Bulla minus quam in alia ponatur, et aliqua privilegia aut favores in una Bulla omittantur, et expresse non confirmantur, per hoc illa omessa non censemur revocata, sed relinquuntur in suo vigore, quem hic et nunc habent, consequenter plene valeant, si a posteriore constitutione aliqua revocata non sunt, aut canonibus et decretis concilii Tridentini non adversantur; quia per Bullas confirmatorias nec intendit, nec solet Papa aliqua privilegia revocare, nisi id exprimat, uti fiantur omnes.

90. *Doctrina practica ad propositum.* — Hinc colliges privilegia et favores in Bulla Gregorii XIII n. 83, allegata expresse positos, et in Bulla Clementis VIII, vel Pauli V, n. 84 et 85, per extensum adductis omissos, aut in his Bullis positos, et in his omissos plene valere, nisi revocatio posterior, vel clausula aliqua revocatoria obstat.

91. *Etiam aliorum ordinum privilegia specialiter, sunt confirmata: referuntur aliquæ confirmationes.* — Præter speciales Bullas confirmatorias privilegiorum ordinis nostri, etiam aliarum religionum privilegia specialiter existunt confirmata: sic enim inter alios Clemens VIII amplissime confirmavit privilegia PP. Dominicanorum per Bullam, quæ incipit, *Injuncti nobis*, etc. et habetur per extensum apud Donatum p. 1, tr. 11, q. 8.

Privilegia ordinis B. Mariæ de Mercede redempcionis captivorum confirmavit Urbanus VIII, per Bullam In supremo, quam habes tom. V. Bullarii Cherubini.

Cisterciensium privilegia confirmavit Innocentius X, per Bullam *Exponi nobis*, quæ habetur cit., tom. V. *Constitut.* 54, et sic de aliis ordinibus præsertim mendicantibus, qui favoribus invicem gaudent, si qui uni ex illis, vel aliis ordinibus per confirmationes ex certa scientia conferuntur, intellige, dummodo ordo participare volens habeat indultum communicandi cum aliorum ordinum privilegiis non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, uti habet ordo noster, et hodie omnes mendicantes teste Donato, p. 1, tr. 11, q. 9.

§ V.

DE EXTENSIONE, ET INTERPRETATIONE
PRIVILEGIORUM.

92. *Extensio et interpretatio privilegiorum est duplex.* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit ad propositum extensio, et interpretatio privilegiorum? Resp. cum Layano in c. *Translat. de Constitut.* n. 4, et aliis communiter, quod extensio duplex sit, una propria dicta, seu comprehensiva. Sive, ut loquitur Fagnanus in c. *Quod nonnullis de privilegiis* n. 16 et 28. Duplex est interpretatio una per extensionem, seu extensiva, alia per comprehensionem, seu comprehensiva.

93. *Alia extensio dicitur extensiva, seu interpretatio per extensionem.* — Extensio extensiva, seu interpretatio per extensionem est, quando legis alicujus decisio transferatur ad alium casum, vel personas, non tantum ultra verba legis, sed etiam præter mentem legislatoris, quamvis non contra mentem ejus. Et talis interpretatio per extensionem in legibus, ob adæquata rationis similitudinem, tam intra quam extra judicium, recte fieri potest, ac debet; quia de similibus idem est judicium, c. *Cum Corporalia. de Translat. episcopi*, et amplius declaravimus Lib. I, tit. II, *de Constitut.* § 15, a n. 370. Exemplum pulchrum hujus extensionis proprie dictæ habetur c. *Cum dilecta*, § *Nos igitur. De confirmat. utili.* ubi Papam constitutionem Juris civilis, ut testes etiam ante litis contestationem excipiuntur, si de morte eorum timeatur, ne veritas occultetur, et probandi facultas subtrahatur, ad instrumenta privilegiorum extendit, et ea ob paritatem rationis, si de ipsorum corruptione timeatur, etiam lite non contestata censet esse renovanda.

94. *Alia comprehensiva, seu interpretatio per comprehensionem.* — Extensio comprehensiva, seu interpretatio legis per comprehensionem, et declarationem fit, si decisio legis transfertur ad alium casum, vel personam non comprehensam sub verbis, comprehensam tamen in mente legislatoris: Si quidem interpretatio legum potius mentis legislatoris, quam verbis convenire debet, arg. c. *Humanæ aures* 22, q. 5, et alibi, atque amplius declaravimus cit. lib. II, tit. XV, § 16, a n. 386. Unde hanc non esse propriæ extensionem recte monet citatus Laymanus,

§ V. DE EXTENSIONE, ET INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

513

eamque Fagnanus melius appellat comprehensionem seu declarationem.

95. *Rursus alia interpretatio est auctoritativa, seu definitiva, alia doctrinalis.* — Rursus alia interpretatio est auctoritativa, seu protestativa, seu definitiva, ac judicialis, utpote cui in et extra judicium fides adhiberi potest, et debet. Alia doctrinalis, seu magisterialis, estque illa, qua per privatos doctores, vel magistros obscura verba privilegii, et mens concedentis privilegium declaratur.

96. *Auctoritativa a solo auctore privilegii, doctrinalis vero a privatis doctoribus fieri potest. Superiores regulares docti doctrinaliter interpretari valent sua privilegia, quod eis subditi stare queant.* — Quæritur II. A quo fieri possit interpretatio privilegiorum? Resp. Quamvis authentica privilegiorum interpretatio superveniente dubio spectet ad principem, vel eum, qui concessit privilegium, prout omnes fatentur, arg. c. *Inter alia. de Sentent. excomm. c. Cum venissent. de Judic. juncta l. fin. C. de Legib.*, tamen etiam juxta unanimem interpretatio doctrinalis potest fieri a theologis, aliisque juris doctis, ut amplius diximus lib. I, tit. II, a n. 463. Præsertim autem privilegia regularium possunt doctrinaliter interpretari a prælatis religiosorum, quorum interpretationi possunt subditi tota conscientia acquiescere, ut inter alios nota Herinck quest. 7. *de Legib.*, n. 87, ubi tamen notandum, prælatos, ut doctrinaliter interpretentur privilegium, debere esse sufficienter doctos, aut doctores pro consilio ad interpretandum adhibere.

97. *Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio.* — Porro circa interpretationem generaliter observandum, quando verba privilegii sunt clara certaque habent significacionem, nullam tunc adhibendum esse interpretationem, sed observandum fore tenorem privilegii, arg. c. *Recepimus.* h. t. ibi: inspicienda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligenter attendendus. Concordat c. *Porro* h. t. ibi: Quod totum ex inspectione privilegiorum suorum plenius adverte pole, et secundum quod inveneris, ita observes. Omitto similia.

98. *Privilegium non extenditur de persona ad personam.* — Quæritur III. An privilegium uni concessum possit extendi ad alterum? Resp. cum Fagnano in c. *Quia nonnulli. de privileg.* n. 2 et 25. Privilegia non extendi in personam etiam ex identitate vel

majoritate rationis. Patet id ex c. *Sane.* h. t. ibi: « Temerarium est, et indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui certa ratione inspecta singularibus volunt beneficiis indulgere. » Concordat Reg. juris. 74 in 6, ibi:

« Quod alicui gratiōe conceditur, trahi non debet aliis in exemplum, » cum suis Concordantiis. Accedit ratio, quia vis et efficacia privilegii non consistit in ratione, sed in voluntate principis eximentis quempiam a communi lege: unde privilegium dicitur lex privata, et jus singulare per texius n. 3 et seqq. relatos.

99. *Nisi ex subjecta materia, vel tenore privilegii aliud desumatur.* — Nec obstat c. ult. h. t. ubi dicitur, quod uni conceditur, aliis negari non debet. Resp. enim cum Glossa ibid. ¶ quod uni personæ, id verum esse, si de jure communi quidpiam concessum est, prout ibidem est casus de muliere fluxum sanguinis paciente, et Christi vestimentum tangente: securus autem esse, si quid cuiquam competat ex privilegio personali.

100. *Vel alias privilegium esset inutile.* — Intellige tamen 1, datam responsonem; per se loquendo, et nisi ex subjecta materia, vel tenore privilegii, sive ex usu, aut alia juris dispositione ejusmodi extensio intelligatur, prout de se patet, et notat Pirhing h. t., n. 21.

101. *Vel communicatio non privilegiati cum privilegiato aliud requirat.* — Intellige 2, nisi privilegium alioquin foret inutile privilegiato: privilegium enim semper deo. aliquid conferre, atque ita interpretari, ut non sit inutile, frustranea, ac defectuosa indulgentia principis, arg. c. *In his de privileg.* juncta Glossa ibid. ¶ *Ex indulgentia.* Hinc licet in materia dividua socius non gaudeat privilegio socii, arg. c. *Quidam* 32, h. t. nibilominus in materia individua generaliter privilegium uni ex sociis concessum trahitur ad omnes ut docet, ac pluribus exemplificat Fagnanus c. *Cum propter. de Jurepat.* n. 41 et 57, ne videlicet privilegium alioquin reddeatur inutile; sic enim causa individua plurimum laicorum, et unius clerici debet agitari coram iudice ecclesiastico.

102. *Vel fiat interpretatio comprehensiva, seu declaratio privilegii meram gratiam continentis.* — Quin imo etiam propter communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegiati, arg. 1. *Si communem. Quemadmodum servit. amitt. et tradit* Glossa fin. in